DOMICILIVM VIRTVTIS

VIRTVTVM ſublime decus, fœdamq́ potentum

Proluuiem ſcelerum gracili depromere cantu

Mens agitata iubet. Quo tantam præſide molem

Aggrediar? Tu ſacra Dei ſapientia vati

Cuncta regens adſis, captisq́ adlabere noſtris,

2

Te sine nil mea mens magni, nil concepit alti

Tu quoq; prima polum volui, motuq; cieri

Æquora mirando, reuomũt dũ ad littora fluctus,

Et frondere solum iussisti, & cuncta creasti:

Tu facis vt nostra volitent per sidera mentes,

Vnde artes, pulchrumq; trahant virtutis honorẽ.

Ergo ne pigeat nostro aspirare labori;

Quod si contigerit felici attingere classe

Portum, pulcher agit non quas Pactolus, arena,

Nec tibi diuitiæ Cræsi, nec purpura Regum

Munus erunt, sed quas de pectore grates

Expromam officij memor: ipse hæc munera victor

Non

Non ingrata dabo, hunc ponã tibi thuris honorẽ,
Nec tuus aufugiet nostro de pectore vultus.
Ecce vocans Helicon cantus ciet, inclyta versu
Calliopea, nefas ventos retinere secundos.
Fors fluuius fuerat nitidis argenteus vndis;
Quem neque pastores, neq; pasta monte Capella
Contigerant, aliudve pecus, quam nulla volucris
Nec fera turbarat, putrisve ex arbore ramus,
Margine gramineo puras infecerat vndas.
Quem super arborea frondes fecere silentes
Vmbras, non fagus, non chaonis absuit arbor
Non nemus Heliadum, curuataq; glandibus ilex,

Amnicolæq; simul salices, & cærula baccis
Ficus, non Platanus, pomoq; onerata, rubenti
Arbutus, & myrtus cum lauro, quercus, & alnus
Ac aliæ, neq; enim numero comprendere refert,
Adde quod hunc fluuiū variæ, circumq;, supraq;
Assuetæ ripis volucres, & flumine pulchro
Æthera mulcebant cantu, arbustisq; volabant;
Nec flores deerant circum viridante corona
Aspectus, quorum posset dare gaudia menti:
Quas inter rosa purpureo rubicunda colore
Crescit, & omne genus violæ, cū Cypride myrtus:
Non etiam Narcissus abest, cui gloria forte

Igne Cupidineo proprios exarsit in artus,

Et quascunque ferunt vernanti tempore ripæ.

Iamq; paratus eram ripa procumbere, donec

Sol medium cæli conscenderet igneus axem.

Hic oculis subito obijcitur mirabile monstrum,

Namq; volans liquidis in nubibus augur Apollo

Remigio alarum, celeri delabitur astris

Cursu, & inhærentem dictis compellat amicis,

Obstupui, gelidoq; mihi per dura cucurrit

Ossa tremor, steterũtq; comæ, & vox faucib. hæsit.

Mox hic (cernit enim turbatum) affatur amicè:

Ne timeas ò quisquis ades, sum Phœbus Apollo,

Non

Non ego ſum paſtor, mihi ſeruit delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, cõiungũt carmina neruis
Me duce paſtores, recreant dum montebidentes:
Inuentum Medicina meum eſt, opiferq́; perorbem
Dicor, & herbarum eſt ſubiecta potentia nobis.
Hiſce quid in rebus paruis tua limina figis?
Sic ne odioſa dies, quod eam vis perdere fruſtra?
Quin potius mecum ò iuuenis veſtigia torques?
Monſtraboq; tibi cuncti ſpectacula Mundi,
Expediens paucis, nec longa ambage moratus,
Ne dubita, duce me potuit cognoſcere mundus,
Magnorum curas regum, moresq; potentum,

Arte mea, doctus potuit lustrare superbi
Infera regna ducis, nec non penetralia cæli,
His signis cythara vates, fidibusq; canoris,
Arte mea Æsclapi potuisti pellere morbos,
Et vita functis vitam reuocare sub auras.
Quin potius reuocato animum, mæstūmq; timorē
Mittito, nunc opus est animis, nunc pectore firmo:
Audentes fortuna iuuat, timor improbus arcet.
His dictis, depono metum, color ora reuisit,
Atq; ducē haud timidis vadentē passibus æquat.
Iuimus obscuri sola sub nocte per vmbras,
Perq; domos hominum vacuas, & inania regna,

Quale per incertam Lunam ſub nocte ſilenti
Eſt iter in ſyluis, vbi mundum condidit vmbris
Iuppiter, & campis nox abſtulit atra colorem.
Dumq; viam Phæbus vario ſermone ſerebat
En rapimur, ſed qua rapimur? per prata, per altos
Huc, illuc ſaltus, ignota per arua, ſolumq́;
Ignotum, rapimur tamen, & cum Sole nitentes
Conſpicio campos, riuos, & amæna vireta.
Tum mihi ſubridens placido ſic ore profatur.
Aſpice Phæbus ait, qua ſe via pandit, & altas
Contemplare domos, oculisq; immania tecta
Perlege, ſtat celebri virtus recinenda camæna:

Hoc opus, hic labor est, accensam dirige mentem,
Solue modos, cape plectra, sonus diuerberet auras.
Vos vates hac cura manet, sic vestra resurget
Gloria, sydereas volitansq; perennis in oras
Ibit, & aeternum claudetur carmine nomen:
Ipse potens vatum mentes aspergere riuis,
Queis Helicon gelidus Musaos irrigat agros
Adflabo versu, fecundaq; pectora reddam.
Nil desperandum Phabo duce, & auspice Phabo.
Vix ea fatus erat: nubes hinc emicat ardens
Sole lacessita, & rapido properante nitore
Certatim errantes obuelant corpora flamma

Ocyor, & vento, volucriq; fugacior Euro

Mirantes oculos aſpectu ludit inani.

Ignea ceu rutilo labentia fulgura cælo

Diſpereunt vix nata, ſuas repetuntq;, volantq;

Ad ſedes, celeri curſu diffuſa perorbem.

Talibus admonitus dictis ad limina greſſum

Nota fero, eximiæ laudis ſuccenſus amore.

Semita lata patet, regalia ſceptra tenere

Dicitur, & ſolio virtus innixa ſuperbo

Docta virum viridi contexere tempora lauro:

Celſa domus ſe longè aperit, radiantia circum

Lumina proſpiceres, gemmaſq; adamante coruſco

Inflammare fores; porrò distantia laudes
Sola vetat reliquas pimpleo scribere versu.
Huc vbi delatus, vidi qui tramite recto
(Nobile nomẽ erat dignum CLEMENTIS, *& omen)*
Sublimes auidus properaret scandere sedes,
Purpureo, nimiumq́; ostro fulgentia tecta.
Nam non ante datur cuiquam penetrare penates
Magnificos, acri rabidos quam strauerit hostes
Ingenio, quos ipse stygis regnator, & orci
Limine custodes fidos præfecit aperto.
Ecce autem primo conspectu tristis imago
Exoritur, furiale gerens pro corpore corpus,

Virginis ora, oculos, suffusaq́ sanguine, & igni,
Terrifico liuore genas, atque horrida membra:
Huic angues fecere comas, hanc pallida circum
Ambit, & infælix macies sicca ossa renudat
Nec non discerpto paßim de pectore corda
Extrahit, & rabidis in propria viscera sæuit
Dentibus, impatiens felicem viuere quemquam.
Caucasia qualis lacerari in rupe Prometheus
Dicitur, æterna persoluens cum nece vitam;
Tartareove lacu Tityus, cui Vultur obunco
Immanis rostro nunquam peritura recidit
Exta, renascentes depascens vndiq́ fibras.

Haud

Haud alio tristis laniatur tormine Virgo.
Sed non hic opus est Aquila, non Vulture, carnes
Deuorat ipsa suas, fœcundaq; viscera rodit.
Quin, & læua manus rigidis pungentia spinis
Tela gerit, rabieq; atros sibi perforat artus.
Hæc vbi prospexit venientem ad limina, vultu
Palluit horrendo, tristesq; exarsit in iras.
Voce Viatorem tentans propellere sæua.
Hinc aduersa rapit secum sua corpora lapsu
Præcipitis, dictisq; illum compellat acerbis.
Quisquis es, audacẽ, qui tendis ad atria gressum
Non impunè feres, nõ hinc sine sanguine abibis.

Quis

Quis furor, aut qualis te nunc audacia cepit
Improbe, in externas violenter repere sedes?
Num nostras turbare domos? num tecta subire
Virtutis? sed vtrunq; nefas: hinc proripe gressum,
Vel meritos tanto solues pro crimine pœnas:
Territus hoc fuerat monstro, verbisq; Viator,
Niq; esset, qui ferret opem, iam terga dedisset.
Ast ibi prastò fuit virgo, cui purpura vestis
Instar erat, viridi circundata membra colore
Catera, qua semper fidi sperare docemur.
Erigit illa animum fractum, mentemq; iacentem
Roborat, & validam paulatim suggerit artem

In-

Inuidiæ, vt melius frendentis iurgia vincat,
Interea postquam neruos, viresq; resumpsit,
Horribiliq; prius mentem formidine pressam
Exuit, obiectis hæc verbis verba, reiecit.
Inuida virgo, virum cui non conceditur vllum
Cernere, virtutis claræ penetralia adire,
Non animus fuit hic nobis, non certa voluntas
Perturbare fores vestras: huc viuida virtus
Aspirare facit, cur nos ingrata retardat
Vox tua? cum nobis nullum scelus inde redundet,
Summus honor potius, celebrisq; per æthera fama?
Sic effatus erat, munitus robore magno

Corripuit ſpatium medium, foribusq; propinquat
Vultu hilaris, facilemq; putãs ad cætera greſſum,
Et nodos ſoluiſſe omnes, & quicquid obeſſe
Optatis vſquam poterat, pernicibus alis
Tollitur, atque nouas ſubito peruenit ad ædes.
Ecce autem inſolito ſtrepitu ſex vndiq; tecta
Eumenides ſociæ complebant: illa ſuperbis
Faſtibus inſultat, rapit hanc, & auara cupido;
Nec non illa deeſt, cuius veſana voluptas
Eſt comes, aut bili quæ feruet, & æſtuat aſtra.
Quin epulis intenta adſtat, nimiumq; quieſcens
Pigritia, atque otio conſumens tempus inerti,

Quæ simul ac diræ properantem lumine toruo
Agnouere, parant fraudes, glomerantur in vnũ,
Hospitioq; truces (furor improb⁹ arma ministrat)
Expellunt, circumq; virum voluuntur in orbem.
Melligeræ veluti volucres, si fortè paternos
Alueolos Vrsum norint intrasse, repente
Vndiq; collectæ coeunt Martemq; fatigant
Instantes hostem contra pungentibus armis.
Sic vbi quæq; locum, tempusq; est nacta nocendi
Dat lituo signum, armariq; in bella sorores
Inuidia exclamat, pellendum finibus hostem.
Ah quales habuit vires vox illa sororis

Impia? concurrunt omnes aduersus inermem
Armatæ rabieq́ue nigra, & crudelibus hydris.
Illa fremit, sonitu vocis terrere laborat,
Illaq́ue perplacido pectus sermone lacessit
Demulcens, penitusq́ue nihil quod perficit illa
Aspera verba mouet, fortemq́ue adducere certat
Ad sua vota virum, fraudes, nonnulla parabat
Ne se victor ouans virtutis sisteret aulæ.
Talibus insidijs fractus, pauidoq́ue tremore
Concussus fuerat, cum fulget ab æthere summo
Auxiliũ, & pulchræ turpissima monstra repellunt
Virtutes septem, aduersa, quæ in sede quiescunt.

Exa-

Exanimesq́; animant, acuuntq́; ad bella timẽtes.

Victrices retulit palmas certamine duro;

Vnde ſuum molitur iter, monſtrisq́; peremptis

Lernæa veluti laudem ex ceruice reportans

Tendit ad optatos ſuper auia tecta penates.

Panduntur portæ, iuuat & miracula mille,

Regalesq́; videre toros, pulcherrima luce

Quos ſuperare nequit flagrantis Regia Solis.

Hic præcelſa domus ſublimibus alta columnis

Marmoreo dotata ſinu, gemmisq́; polita

Emicat, & pictis radiat laquearibus aurum;

Argentum paßim per valuas vndiq́; ſerpit

Et nitidum componit ebur faſtigia tecti :
Hic Regale vides ſolium, quo nititur alma
Virtus, atque ſedet cum Maieſtate verenda
Purpuream veſtita togam, flammante pyropo
Induitur pectus , collo circumfluit aurum
Flexile, ceruicemq́; acuit gemmata tiara.
Nec vero vna ſedet, famulans aſſiſtit vtrinq́;
Doctrina, & Pietas . Reginæ iuſſa ſequuntur
Vnanimes ambæ; dextrum latus occupat ipſa
Relligio, læuamq́; regit ſapientia ſedem.
Vtraq; magnifico corpus prætexit amictu ,
Vtraq́; gemmiferis circundat tempora ſertis.

Vidit,

Vidit, & ante tulit veſtigia feſſa viator,
Quem ſimul ac virtus ſolio ſubnixa ſupremo
Limine inhærentem videt, aduocat ore benigno.
Olli membra pauor, pudor, & miniauerat ora
Ingenuus, ſubito quem vox audita coercet;
Atque vbi paulatim vires reuireſcere ſentit,
Lumina defigit terris, & poplite flexo
Reginam, linguaq; humili reuerenter adorat:
Illa autem vultu ridenti, & fronte ſerena
Excipit, & dextram præbens, atq; oribus ora
Componens, niueis collum ter diua lacertis
Conſtringit, blandoq; virum ſermone ſalutat.

Nate

Nate meæ vires mea sera, & grata voluptas
Venisti tandem, pridem te parta labore
Præmia digna manent; clarum per sæcula nomen.
Dixerat hæc: nutu vocali serta parari
Imperat, ancillas radianti stemmate crines
Ornare, & læta præcingere tempora fronde.
Vix hæc ediderat, dictis fuit vtraque præsto,
Relligioque prior capiti diadema reponit
Longè adamante nitens, Solis fulgore coruscans.
Altera, & insignem gemmis, viridique smaragdo,
Annectit fronti dignæ festiua coronam.
Tum Regina throno diti sic ore locuta est.